

rit & Apostolis tradiderit; tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atq; integrum Christum verumq; Sacramentum sumi; ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. Ex quo tempore igitur Concilii Constantiensis decretum signum sustulit Pontificiorum hominum libidini, eam sibi sumere licentiam, ut adversus convenientissimam salutis nostræ obfignationi sanctionem, à sapientissima voluntate Dei profectam arietârint, eamq; profano ausu reformare verecundati non fuerint, quin imò ut rigidissima contumacia propugnare non desistant, juxta tenorem pronunciati istius synodalis calicem consecratum institutione Christi præscriptum, in extrema etiam necessitate non esse Laicis concedendum. Sane quam velit in perpetuum calicem abrogatum esse, operosa communionis sub una assertione, & deinceps circa prohibitionem calicis ecclesiæ Romanæ rigoris declaratione inculcat SVAREZ. in III. P. T. III. Disp. LXXI. Sectione. 3. in fine. Sed quæret tandem aliquis, an hac prohibitio Ecclesiæ tanto rigore obliget Laicos, ut in nullo casu & nulla de causa, eis liceat bibere sanguinem Domini, absq; speciali dispensatione. Aliqui enim ita exaggerant hanc prohibitionem, in odium fortasse hæreticorum, ut nunquam hujusmodi casum admittant, in quo id permittere sit necessarium. Unde Soto distinct. 13. quæst. 2. art. 6. dicit; Si contingat, sacerdotem sacrificantem mori post consecratum & ante consumptum sanguinem, & nullum adesse Sacerdotem à quo possit consumi etiam si species vini corrumpenda, & in acetum mutanda, vel paulatim consumenda censeantur, non licere Laico illas sumere. Sic etiam dicunt aliqui, si contingat, Sanguinem Domini in terram cadere, & nullum esse Sacerdotum, qui illum velit lambere, non permitti laico ut id faciat; sed solum ut diligenter caveat, ne conculcetur; sed servetur donec exsiccetur, & postea radatur & comburatur. Sed hæc & similia valde rigida sunt, & sine sufficienti fundamento: nam hoc so-
lum